



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm III. Qualiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Corollarium. Si Titius mihi centum aureos promissit, vt Romam eam; iure ciuili non compellitur ad numerandam pecuniam; sed etsi numerauerit, per poenitentiam recedere potest, ac pecuniam repetere, antequam ego conditionem impleui, seu iter arripui; dummodò resarciat, si meà interfit pactum impletum non esse, l. si pecuniam, 5. ff. de cond. dict. causa data, &c. Sed secundum ius canonicum, & forum conscientiae ita paciscens cogitur stare promissis; quamdiu altera pars parata est implere conditionem, seu promissum suum, vt bene docet hic Felinus declarat. septima, Couar. in c. quamuis pactum, p. 2. §. 4. n. 14. & dixi in cit. tr. 4. c. 3. n. 3.

CAPITVLVM II.

Quotiens.

PARAPHRASIS.

Conuentiones, seu pacta, quae in Ecclesiis v.g. fiunt, Pontifex consensu suo postea praestito confirmare, & ratificare potest.

SUMMARIUM.

Conuentio aliquo modo valida, saltem iure natura, per consensum Superioris postea adhibitum validatur, & confirmatur.

Disputant hic Doctores, vtrum consensus postea adhibitus actum ratificare aut confirmare possit. Bene respondent hic Imola, Innoc. in c. cum consuetudinis, de consuet. Bartol. in l. obseruare, n. 7. ff. de offic. Proconsulis. Vel actus secundum substantiam omnimodè, etiam spectato naturali iure, irritus est; & subsequente consensu non confirmatur, aut ratificatur: quia quod non est, id confirmari non potest; neque firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit, reg. 18. in 6. Vel aliquo modo validus est, saltem spectato naturali iure, tum consensu postea adhibito confirmatur. Sic enim alienatio rerum facta à Praelato, per consensum Capituli postea praestitum ratificatur, c. 3. de his quae fiunt à Praelatis, &c.

Item alienatio facta à Rectore Ecclesiae inferioris, confirmatur per consensum Superioris, (videl. Episcopi, aut Papae) postea adhibitum, arg. huius c. Vide quae dixi in c. prudentiam, 20. §. Sed vt haec, not. 2. de offic. delegati.

Sed obijcitur l. obligari, 9. §. Tutor. ff. de auctorit. tutorum, vbi dicitur, contractum pupilli non confirmari, si tutor auctoritatem postea praebet. Respondeo cum Gl. margin. in cit. c. 3. Innoc. in cit. c. cum consuetudinis; Auctoritatem plus aliquid esse, quam nudum consensum. Nam qui auctoritatem praestat, is principalis esse debet, vt absque eo actus valere non possit pro tempore, quo gestus est; licet valere possit pro tempore, quo auctoritas interuenit, vti Abb. hic annotauit.

CAPITVLVM III.

Qualiter.

Quae promissa sunt, opere adimpleri debent. Vide quae dicta sunt in cap. 1. hoc titulo.

CAPITVLVM IV.

Cum pridem.

PARAPHRASIS.

Inter Monachos de Acra, & Publium Clericum fratremque eius germanum controversia erat super Ecclesia quadam, & Cappella, quibus Publius, eiusque frater se à Monachis deiectos dicebant. Postea autem inter se priuata auctoritate transegerunt, vt Publius ac frater eius lite cederent; Monachi autem eisdem tres marchas argenti soluerent in compensationem expensarum. Eam postea compositionem seu transactionem Apostolica auctoritate confirmari volebant: Sed Alexander III. admittere noluit, eò quod illicitae seu simoniacae pactonis speciem contineret: Quamobrem alium partibus compositionis modum proposuit, vt videl. Publius pro se, & fratre suo liti renuntiaret, ideòque